

## **Forum Beneficiale, Sive Quæstiones & Responsa Canonica**

Materiam De Beneficiis Universam Ex Beneficialistarum tam antiquorum,  
quàm recentiorum placitis complectentia. Opus methodo novâ, & clarâ in  
tres digestum Partes ... accuratè, ac copiosè instructae

De Provisione Et Obtentione Beneficiarvm

**Leuren, Peter**

**Coloniæ Agrippinæ, 1704**

88. An opus istis rigorosis probationibus, & intret dispositio concilii, dum  
jusp. non adversus Ecclesiam, sed adversus alium patronum probandum.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74485](#)

ni, ac proinde hos testes debere esse peritos literarum, v.g. Doctores, Advocatos, Tabelliones vel Notarios, & alias non plene sed semiplenè probaturos, ex Anton. Gomez. l. 41. Tauri n. 3, tradit Castrop.

**Questio 87.** Num facta probatione jurispatronatus, juxta Decretum Trident. & presentato per patronum admissò ab Ordinario, si in sequentibus vacationibus dubitet de validitate jurispatronatus, patronus possit repellì à sua quasi possessione presentandi, teneaturque ante presentationem de novo probare titulum?

**R**espondeo negativè: haber enim tunc patronus in iudicio possessorio suam intentionem fundatam, & certè forer id nimis grave, si in singulis presentationibus hæc authentica tituli probatio requiratur. Gonz. cit. gl. 18. num. 15. Barb. in remissione Concilii. sess. 25. c. 9. testans sic decisum à Sac. Congreg. Castrop. cit. num. 12.

**Questio 88.** Num etiam opus sit rigorosis istis probationibus, & intret dispositio Concilii, dum iuspatronatus non adversus Ecclesiam, sed adversus alium patronum probandum est?

**R**espondeo negativè: Concilium enim non loquitur de hac probacione, quæ Ecclesiam unitius, quam alteri subjicit, sed de ea, quæ Ecclesiam absolutè subjicit alicui patrone. Corrad. l. 4. c. 4. n. 42, in fine. testans sic decisum à Rota. Lott. l. 2. q. 13. num. 128. citans Zipam. Castrop. cit. num. 12. cum Barb. cit. alleg. 72. num. 67.

**Questio 89.** Num opus illis rigorosis probationibus requisitis ad reprobandum iuspatronatus personarum, in quibus presumuntur usurpatio, dum cum tali persona currunt alia persona, in quam non cadit presumptionio talis, v.g. Ecclesia?

**R**espondeo negativè: tunc enim, quia, etiam remotâ istâ personâ suspectâ beneficium non acquirit libertatem, suspicio seu presumptionio illa non relevat, ut intret forma à Concilio præscripta, sed sufficit tantummodo probatio ordinaria. Lott. l. 2. q. 13. num. 128. Card. de Luca in summ. jurisp. n. 75. ubi, quod talis mixtura suffragetur compatrio, quamvis potenti, adeò que per se subjecto dicitur forma rigorosa. Corrad. loc. cit. citans decis. Rota in una Fesulan. jurisp. apud Cayaler. decis. 79. num. 2. Quod à potiori locum habet, dum Universitas habet tertiam vel quartam partem, reliqua autem partes spectant ad patronos distinctos, qui non sunt personæ potentes; quia praeterquam, quod, ut est dictum, etiamsi potens excludatur, beneficium tamen per hoc non remanet liberum, sed de jurepatronatus, isti habentes reliquas illas plures partes non tolerarent in compatrio illo potente usurpatiōnem. Corrad.

loc. cit. n. 43. citans Gonz. gl. 18<sup>a</sup>  
num. 69.

**Questio 90.** Num rigorosa illa forma Contiliaris probandi necessaria quoque sit ad effectum etiam juris honorifici?

**R**espondeo negativè: opus enim eà est solum ad effectum juris præsentandi, utpote quod præsefert veram Ecclesiæ servitatem. Card. de Luca. loc. cit. num. 78. ubi etiam, quod eà opus non sit, ubi non principaliter, sed incidenter in Ordine ad alium effectum, quam illum libertatis Ecclesiæ, vel beneficii agitur de jure patronatus potentum.

**Questio 91.** Qualiter doceatur, acquiratur, conservetur, & operetur possessio præsentandi, de qua, ut Corrad. l. 4. c. 4. n. 4. non secùs ac de existentia jurispatronatus dendum est ad effectum obtinendi institutionem presentati?

**1.** **R**espondeo primò: dum præsupposita jurispatronatus existentiæ & Ecclesiæ servitutis, ita ut nemo contendat de statu libero, agitur tantum super cumulativo, vel simultaneo concursu patroni cum alio, quem patronus admisit ad præsentandum secum, hæc possessio ictius admisisti acquiritur, & probatur per unicum actum talis simultaneæ presentationis, quamvis non effectuatum, sed reprobatum aut ab aliis patronis contradictum. Neque attenditur, an hæc possessio bona vel mala fide queratur; imputet enim sibi patronus admittens non patronum ad secum præsentandum; cum id continere videatur quasi implicata concessionem participationis, non quidem ipsius jurispatronatus, cuius substantia non transfertur in admissum, quique propterea non efficiunt compatrionus, sed exerciti tanquam fructus; modò tamen talis admisso non laboret dolo, fraude, aut falso supposito, & admittens sit imperfecti judicii, sed ex parte admittens sit perfecta & valida, quæ tamen possessio non præjudicat aliis compatrionis vel Ordinario, sed potius interest Ordinarii, illam admitti, dum ita ex admisso & admittente (quatenus sit unicus) in diversa abeuntibus vota in præsentando, aperitur Ordinario locus, vel facultas gratificandi, seu etiam liberè conferendi pro ista vice. Card. de Luca in summ. jurisp. à num. 79. De cetero

**2.** **R**espondeo secundò: dum contentio est inter possessorum & petitorum non admittentem, quorum unus alterum excludere pretendat; unde agatur de concursu privativo; vel etiam, dum contentio est inter possessorum & Ordinarium, vel alium negantem existentiam jurispatronatus, acquiritur possessio, & docetur de ea, etiam unicâ presentatione, ita ut is dicatur constitutus in quasi possessione jurispatronatus, & præsentandi, & cœsequenter manutendus, donec in petitorio videatur de vero jure, qui semel præsentavit cum bona fide (quæ quidem bona fides, dum contentio est inter patronos contendentes de pertinentia, præsumitur, donec probetur mala; ubi vero contentio est cum Ordinario contendente de libertate, probanda est à possessorum, seu allegante possessionem servitatem ob præsumptionem stantem pro libertate. Card. de Luca loc. cit. n. 82.) credendo se esse patronum, & uti jure suo, præsentando privativè ad contendentem. Card. de Luca ibid. (quamvis is addat, an unicus actus ad id sufficiat, pendere à facti